



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 3. De confiscatione bonorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

perpetuo carcere clausis alimenta non
defint, ne fame necando incurrant irre-
gularitatem, quemadmodum. *Abb. notat*
in c. à nobis. de Apost. Addit Barb. in c.
Excommunicamus. de heret. moris olim
fuisse, ut detrudendi in perpetuum carce-
rem, non solum verbaliter ab altaris mi-
nisterio removerentur, sed etiam actuali-
ter degradarentur; hodie autem morem
illum exolevisse. Denique Iudex clericum
iniuste detrudens in carcerem excom-
municatur. c. Si clericos. de sent. excomm.
in 6. Insuper damnus, & iniuriam com-
pensare tenetur. Davalos in Enchirid. Ind.
Par. 2. c. 13. Moscon. l. 2. de iudiciis Par. 1.
c. 5. Foller. in Pract. Crim. in V. vel in car-
cerentur. Ign. Lopez. c. 127.

DVB. 15. An verberum, & fastigationis
poena clericis conveniat?

R. Cum *Pisecio par. 2. c. 4. n. 91.* Verberum
poenam usitatam esse in clericis *c. 1.*
de calumniator. c. fin. dist. 35. Sed non nisi
per clericum, clericus verberandus est, vel
ipsum Iudicem. *c. Universtitatis. de sent.*
excom. Episcopus autem ipse nullum per-
cutere debet. *c. Non liceat. dist. 86.* Ca-
vendum quoque, ne membrorum aliqua
læsio, vel sanguinis effusio fiat: nec facile
Sacerdotes eiusmodi poena afficiendi.
Excipe atrociora delicta, qualia sunt, læsæ
maiestatis, Magia, & hæc. enumerata a-
pud *Zanger. Tract. de tort. c. 1. n. 64. 65. &*
66. in quibus clerici & Sacerdotes pari-
cum laicis modo castigantur. Quod tor-
turam attinet, cum de gravi crimine per
semiplenam probationem suspectus est
clericus, etiam in sacris ordinibus consti-
tutus, torqueri potest, non tamen per lai-
cum, nisi aliud consuetudo ferat. *Decia-*
nus l. 5. c. 36. Pisec. par. 2. c. 4. n. 92. Bern.

Diaz, quic. 126. torturam clericorum mo-
net non æquali severitate cum laicorum
torturâ faciendam. Obtinuit enim, & cõ-
venit etiam in eodem eum laicis delicto.
lenius puniri, Addit ex confessione co-
ram laico Iudice facta, torqueri non pos-
se, quicquid in contrarium alii dicant. Si-
militer negat torquendum clericum esse
quia in dicendo testimonio vacillavit:
eò quòd infamia præcedere debeat cum
aliis sufficientibus indiciis, quæ probatio-
nem semiplenam efficiant. *Clarus q. 69.*
n. 2. Card. Tuschus Concl. 221. Ignat. Lopez
in Pract. Crimin. c. 128. Zanger. de tort.
c. 2.

§. III.

De confiscatione bonorum.

I. **F**iscus est bursa Cæsaris, vel Princì-
pis: hodie saccus regius, in quo
congregantur bona reorum, maximè
proscriptorum. Alii vocant saccum sine
conscientia, qui imburat omnia malè ac-
quisita. *l. in hæredem ff. de calum. & turpia*
lucra ab hæredibus extorquet, licet cri-
mina sint extincta d. l. in hæredem sub init.
Merito igitur à nonnullis lienì comparat-
ur: quia nimirum, ut humores noxii in
lienem, ita reorum opes in Fiscum colliguntur,
& servantur. Voracissimus siquid-
dem, & capacissimus est. Denique quod
non capit Christus, rapit Fiscus. *c. Maio-*
res 16. q. 6. Mynsing §. Res fisci. Instit. de
Usucap. Formaliter sumendo, est jus prin-
cipis damnatorum bona capiendi, & u-
tendi in vindictam delictorum. Gaill. l. 2.
obs. 86. Tholos. l. 3. de rep. c. 9. num. 5. Prans.
Marcus decis. 338. Schonborner l. 4. Polit.
c. 15. Anton. Peragrinus de iure Fisci l. 4.
ff 3 p. 32

p. 3. a quo etiam duplex Fiscus constitutus, Generalis & particularis. Generalis est Papæ, & Imperatoris, particularis Regum, Principum, & liberarum civitatum. p. II.

II. Bona Fisci o illata, vel inferenda Fiscalia nominantur ff. & C. de jure Fisci. Itē de advocatis Fisci: ad distinctionem vide licet eorum bonorum, quæ Princeps, ut privatus possidet. Fiscalia enim interpretia quidem numerantur aliquando, sed minus propriè, quàm patrimonialia, in quæ nullum sibi jus recipi vel communitas vendicat. Hinc ab Ulpiano l. 1. ff. ne quid in loco. Res fiscales, inquit, quasi propria, & privata Principis sunt: etsi quid controversiæ oriatur, in his præfecti earum Judices sunt. Acquiritur autem Fiscus vel ex causa intestati, vel ex testamento, vel ex delicto, vel ex indictione mulctæ, vel denique inventione thesauri in publico. V. Schönborner l. cit. qui etiam privilegia Fisci numerat c. 18.

III. Jus confiscandi reorum bona Tholos. l. 31. c. 31. n. 6. regale vocat, quod nulli præterquam Principi conveniat, exceptis civitatibus liberis, quarum aliqua in Lōgobardiâ ab Imper. Friderico, & Henrico VI. acceperunt. Extrav. de pace Constantiæ c. nos Roman Imper. Idem jus in Gallia quibusdam Patriciis concessum esse ex conventionione cum Rege in ita; iudicibus quoque regiis, aliisque, qui merum & mixtū imperium habent. Dixeris non malè omnibus convenire, qui vel ordinariam, vel delegatam potestatem habent, exercendi iudicia, & decernendi supplicia. Quomobrem nec Ecclesiastici Prælati excludendi sunt, qui non minùs Fiscum habent, & nutriunt, quàm Principes sæculares.

Gloss. in c. quia diversitatem de concess. præb. Clem. 2. de Heret. Reinh. diff. 34. Schneiderr. l. 3. Inst. r. 1. n. 8. VVesemb. l. 48. ff. tit. 20. Ant. Peregrin. l. cit. Franc. Marc. Lecif. 339. n. 10.

IV. Confiscatio non unius generis, & moris est. Nam aliquando bona tantùm confiscantur, aliquando corpus, & bona simul: ut cùm mortis supplicio afficitur quis, aut civitatis, vel libertatis ademptio fit l. 1. ff. de bo. damn. l. bona fisco de jure fisci. Idem fit de crimine læsæ majestatis falsæ monetæ, divinationis, hæresis, & similitū. Bona autem sine corporali pœnâ innumeris penè modis Fiscus addicuntur. Omnia enim sceleratè acquisita Fiscus attrahit l. Lucius ff. de jure fisci. Præterea thesauri inventi, bona derelicta, adespota, & similia, de quibus V. l. Variæ causa. eod. & Az. in Sum. l. 7. n. 73. Nicol. Everh. in loco de Fisco VVesembec. l. 48. ff. tit. 20. & C. 9. 49. num. 1. & 2.

V. Crimina propter quæ ipso jure, & facto bona publicantur, & Fiscus addicuntur, 12. sunt. Primum, incestuæ nuptiæ. §. 1. Auth. de incest. nupt. Mox rerum suarū casum imminere (Sancimus) C. eod. & utrobique DD. Bart. Bald. Angel. & alii. Prolixè Covarr. in tr. de sponsalib. c. 6. Modò desint liberi ex alio legit. matrimonio nati. Secundum læsæ majestatis. l. ex iudiciorum ff. de accus. l. penult. ff. ad l. iul. majest. & l. fin. C. eod. Intellige de duobus capitulis legis Iulie, cùm quis nimirum vel contra Imperatorem, vel contra Remp. Roman. machinatus est malum. Pro aliis enim defuncti memoria non damnatur. di. l. fin. ff. ad l. iul. mai. & ibi notat Gloss. cum DD. Si autem propter illorum aliquod vivens damnatus fuerit, bona sua amittit, & Fiscus attrahit præter jura liberorum, ad cō

Idem ut nec legitimam filii deducant. Sin-
 minus, morte illius crimine extinguitur, etiā
 quoad bonorum publicationem. *Salic. in
 l. quisquis. C. eod. Roland. consil. 1. n. 22.* Idē
 iuris an obtineat in Principibus, Marchio-
 nibus & similibus, quorum dignitas impe-
 ratoria minor est, dubitatur. Quicquid
 verò in utramq; partē ex legibus probari
 queat, usus & consuetudo obtinuisse vido-
 tur ut eodē privilegio Principes eū Impe-
 ratore gaudeant, ii præsertim, qui omni
 modò, & magis independentē iurisdictione,
 nec exercent. Tantū namq; sibi in sua pro-
 vincia, quantum in universo imperio Im-
 peratori licetē persuadent. Consuetudo
 igitur attendenda est. Tertium est crimen
 hæresis *l. 4. C. de hæret. c. Cum secundum de
 hæret. in 6.* de quo solus ecclesiasticus Ju-
 dex cognoscit. Hæreticus enim ut ex plo-
 ratis esse possit, etiā inopia, & egestate la-
 borare debet. Publicatur autē, nullo filio-
 rum respectu habito, bona omnia mobilia,
 immobilia, iura quoque, & actiones, &
 quicquid ad eos quoquo modo pertinet:
 idq; à die commissi criminis, per omne tem-
 pus, quo permansit in hæresi. *c. cit. Cum se-
 cundum. l. 4. C. ad l. iul. marcell. V. Simonca
 c. 6.* Quartum est repetundarum. *l. ex iudi-
 ciorum. eod.* intra annū tamen à die mortis
 delinquentis. *l. 2. ff. ad l. iul. repetund.* *Quin-
 tum* peculatus, & de residuis. *l. fin. ff. ad l.
 iul. pecul.* intra quinquennium ex die com-
 missi criminis *l. peculatus ff. eod.* sextum
 apostasiā à fide. Quicquid enim à vera fi-
 de se secerit, accusari à quolibet, possunt.
 & cuncti bonis suis privantur in vita: post
 mortē verò, & intra quinquennium proxi-
 moribus ipsius qui Catholici sunt, bona
 deferuntur, eisq; interdicitur bonorum
 alienatio, & intestabiles redduntur. *l. 1. i. ff.*

trib. sequ. C. de Apostatis. c. Excommunicamus. de hæret. c. Cum secundum eod. in 6.
 Septimum est Militiæ desertio. *l. 4. C. de re-
 militari. ubi Imper. Gordianus defuncto-
 rum in desertione bona confiscari, Divus
 Marcus, & Antoninus pater meus consti-
 tuit. Octavum* homicidium illius, in cuius
 bonis occisor successorem sperabat. Ab
 illo enim, & hærede ipsius bona Fiscus au-
 fert. *l. Lucius ff. de iure Fisci. Decimum* Tur-
 pis acquisitio, flagitio aliquo per defun-
 ctū commissio. *di. l. Laitus, & l. fin. ff. ad l.
 iul. pecul. & l. in hæredē ff. de calumniator.*
Undecimum. Fraus commissa in gabella
 præstanda. Intra quinquennium contra hæ-
 redes vindicatur. & in re ipsa. *l. commissa,
 & l. fraudati. ubi Bartol. & alii ff. de pub-
 lic. l. 2. C. de vectigal. Glo. & Bart. in di. l.
 iudiciorum. Duodecimum* est sui ipsius oc-
 ciso propter metum supplicii: si verò ob
 aliam causam putat alienum, vitæ radiū
 &c. manus sibi intulit, hæredem habebit
 ex testamento vel ab intestato. *l. 3. ff. de bo-
 nis eorum. l. 1. & 2. C. eod. cum Glo. & l. in
 fraudem § eius bona ff. de iure fisci.* In dq-
 bio non præsumitur supplicii metu inte-
 remisse se, ad effectum confiscandi bona,
 sed ob aliam quamcunque causam. *Alber-
 in Rubr. ff. eod. Decius Consil. 438. q. 1.*

NOTA. Quamvis ita legibus determi-
 natum sit, ut in præced. diximus, hodie ni-
 hilominus usu receptum videtur, ut ex-
 cepto crimine hæresis & læsæ maiestatis,
 ob nullum aliud crimen bona publicentur,
 & Fisco inferantur, nisi statuto aliquo
 particulari iubeatur. *V. Anto. Peregrin. l. 5.
 De iure Fisci. tit. 1. n. 8.*

Iam quod modū procedendi ostinet, &
 Vi statuti contra absentem procedi potest
 pro delicto aliquo ad sententiā definitivā.
 qua

qua condemnetur ad bonorum publicacionem. *Bart. in di. l. ex iudiciorum Bald. in l. data opera. n. 89. C. qui accusa. p. ff. 2. idē dicendum, si reus absens pro confesso habeatur. Glo. & DD. in l. pen. §. quod ait p. ror ff. Quod quisque iuris. 3. quodocumq; heredes defuncti infamia onerati, ad delendam ipsius innocentiam volunt de crimine cognosci. Nam id iure conceditur. l. pen. §. Seia ff. de alim. leg. 4. cum processus formatus est, & factum ita liquidatum, ut sententia contra reum ferri possit: vel reus solenniter confessus esset delictum. In his casibus sententia declaratoria de confiscatione bonorum ferri potest, nisi hæres confessionem factam diluat, sicut innocentiam damnati quisquam demonstrat. *Bart. l. 1. de publ. ind. Curt. Cōsil. 60. n. 11. & 12. Menoc. Cōsil. 99. n. 175. Ant. Peregrin. l. 4. de iure fisci Tit. 5. Vvesenbec ff. l. 48. tit. 2. Baiardus ad q. 79. iul. clari §. fin. Tholosan. l. 31. c. 31. Azor l. 5. c. 7. q. 1.**

VI. Quando confiscatio bonorum fit, immobilia tribuuntur Fisco illius, in cuius territorio sita sunt. *l. Quicumque. §. Viuenti. C. de heret. Decian. l. 4. c. 26. num. 18.* Mobilia vero alibi existentia applicantur communitati Iudicis condemnantis. *c. 1. §. si maior Iudex de parc. iuram. firmanda l. 2. Feudor.* Clerici bona illi ecclesie adveniunt, à qua stipendium habuit, si pluribus seruitur, partitio fiet aliàs Fisco ecclesiastico. *Anton. Peregrin. l. 4. de iure Fisci. p. 317.* De emphyteuticis non liquet, ecclesie, an domino proprietatis tribuenda sint. Si autem ecclesia accipiat, obnoxia erit domino, & præstabit omnia ea, quæ clericus solebat præstare. Clerici non habentis beneficia in manus episcopi transferunt, in pios usus distribuenda. *V. Bern.*

Diaz in Pract. Crim. c. 134. Tholos. l. 3. c. 4. n. 3. Si plures unius loci domini sint, bona publicata accipiet, cuius ius potentius est: si verò contingat crimen confiscatione dignum committi sub dominio A. & huic ante condemnationem subrogari B. utri eorum debeatur confiscatio, dubitari potest, nisi fortè inter se de partiendo pacificentur.

VII. Non omnia bona confiscationis sententiae obnoxia sunt, sed ut de particulariis & vilibus taceam. *de quib. Vvesenb. l. cit. eximuntur primò portiones liberis, & uxotibus assignatae. l. 1. §. 1. & l. Cùm ratio ff. de bon. damn. l. fin. de bon. damn. l. fin. de bon. prescript.* Relinquitur autem liberis dimidia pars ex clementia principis. *Iul. Clarus p. 78. n. 26.* Item beneficia ecclesiastica iam obtenta. *Covar. l. 2. Var. c. 8. n. 4. Secundo* ore damnata dos marito relinquitur, excepto crimine læsæ maiestatis, de vi publica, partidii, veneficii, assassinatoris, &c. in quibus tamen marito contra Fiscum salvæ actiones manent. *l. quinque legib. cum duab. sequ. de bon. damn.* Creditoribus quoque ius suum relinquitur, ut ex bonis damnati satisfiat: domino proprietatis quoque, si usufructus tollatur. *Tertio* non confiscantur à Iudice sæulari, quæ vel spiritualia, vel spiritualibus connexa sunt, ut jus patronatus. Facta autem confiscatione per Iudicem ecclesiasticum, liberatur quidem beneficium, sed ius patronatus non transit ad Fiscum, quia hoc feret in præiudicium ipsius ecclesie: recipiet autem, cui aliàs per legitimam successionem debetur. *Franc. Leo Par. 2. c. 21.* *Quarto* eximuntur etiam bona ab hæretico acquisita post condemnationem: item peculium professionem filiorum

filiorum, nec publicantur adventitia tam quoad proprietatem, quàm quoad usum fructuum: multò minus peculium Castrense, majoratus, & similia, de quibus *Barb. in c. Vergentis de heret. Iul. Clar. q. 78. & Baiardum in ead. quest.* Nec dubitare licet de bonis restitutioni obnoxiiis, quæ nefas Fisco contingere: & si quid ex illis attraxerit, refundere tenetur *Azor in Summ. l. 7. tit. 73. Fachin. l. 9. c. 47. Gomez. l. 3. c. 15.*

VIII. An bonis mariti confiscatis uxor dos sua salva maneat, eamque à Fisco repetere possit, in dubio est? salvam manere, & repeti posse existimat *Andr. Gaill. l. 2. obs. 86.* Colligitur ex *l. ob maritorum C. ne uxor pro marito l. res uxoris C. de donat. inter virum, & uxorem.* tum quia tacitam hypothecam in bonis mariti habet, tum quia res cum onere suo ad Fiscum devolvitur, *l. si debitori ff. de fidejuss.* Nec obstat, quod tam Fiscus, quàm uxor tacitam hypothecam in bonis mariti obtinet, quoniam in pari utique magis privilegia, tã uxor præfertur. *Amplia. 1.* ut obtineat, quod diximus, etiamsi pars bonorum tantum Fisco illata sit. *2.* ut locum habeat in proscriptis ab Imperatore propter flagitium aliquod. Uxores enim dotem suam retinent, & exigunt. *3.* in aliis quoq; bonis jus suum uxoribus manet, puta, quæ ex testamento, vel ab intestato, quæque alio quolibet justo titulo obvenierunt. *4.* Uxor non dotata confiscatis mariti bonis, quadrantem capere potest. *auth. præterea C. unde vir & uxor:* quoniam illa quarta debetur illi ex provisione legis, & necessarium debitum appellatur. *Damboud. c. 66. Fachin. l. cit. Anton. peregrin. de jure Fisci l. 5. tit. 1. n. 30. & sequ.*

IX. Fiscus jure communi non habet alium Judicem, quàm Imperatorem agendo, & conveniendo. *l. 1. & 2. C. ubi fiscal. cause agantur.* adeoque regula. Quod actor forum rei sequi debeat, in Fisco locum non habet, sed Fiscus procurator ad suum tribunal omnes vocat. Porro fiscales causæ in Camerâ Imperiali tractandæ sunt. *part. 2. ordinat. tit. 20. §. fin.* Illarum verò aliquæ sunt ordinariæ, in quibus ordinarius, & consuetus juris ordo servatur. Ejusmodi sunt causæ fractæ pacis, exemptionum, pœnales, & his similes: aliæ extraordinariæ, in quibus de plano, & summarie agitur. Ejus generis sunt collectarum Imperii, quæ certam, & determinatam ex Matriculâ Imperii occurrente præstationem habent, in quibus à præcepto, seu monitorio, adeoque executione, tanquam super debitis liquidis ex statuum voluntate contractis absque strepitu judicii proceditur. *V. Gaill. l. 1. obs. 20.* ubi insuper notat, debitum fiscale ante diem quoque exigi posse, & causas altioris indaginis, sicut privatorum non summarie, sed consueto juris ordine tractandas esse. *l. 3. C. de conven. fisci debitoribus lib. 10. & l. defensionis C. de jure fisci.*

X. De bonis hæreticorum confiscatis *Barbosa in c. Vergentis de heret.* annotat sequentia *1.* in terris Ecclesiæ subjectis inferri Fisco Ecclesiæ: in terris Principum læcularium illorum Fisco, & ad hoc censuris compelli posse per magistratum Ecclesiasticum, nisi fortè propter seriam conversionem misericorditer condonare velit. *2.* filios hæreticorum amittere hæreditatem propter crimen parentis, quamvis ipsi Catholici forent, legitimam quoque

quoque, & alimenta: filia etiam dorem, licet Catholicæ sint. 3. Prædicta bona ipso jure confiscari à die, quo quis in hæresin incidit. *c. secundum leges. de hæres. in 6.* rei tamen non tenentur ea Fisco offerre ante sententiam Judicis; sed illorum possessionem retinent, usque dum declarentur hæretici esse. 4. Confiscari non tantum bona, sed usumfructum quoque. Item debita, & jura conditionata ex contractu orta, quamvis conditio impleatur post confiscationem. Idem universè dicendum de omnibus bonis, & juribus propriis condemnati, ut excludantur ea, quæ ad alios pertinent. Denique sciendum est, confiscationem bonorum manere integram, quamvis hæreticus resipiscat, & pœnitentiam agat. Conveniens tamen est, ut conversis & emendatis bona relinquuntur *c. cit. Vergentis.* Adde, quod hæretico etiam de aliis criminibus accusato non permittitur procurator, vel advocatus. *c. statuta 20. de hæres. Simanca in Enchir. c. 56. Diaz. c. 114.*

§. IV.

Satisfit Dubis de confiscatione bonorum.

DUB. 1. Fiscus, an Ecclesia magis privilegiata sit?

R. sp. in jure æquiparari, adeoque ab uno ad alterum, utile, & forte argumentum sumi. *l. fin. C. de Sacros. Eccles. §. finimus. junct. Gloss. in Auth. de non alien. reb. Eccles. & c. Quicquid ergo jun. Gloss. 23. qu. 4.* Si ergo contingat decidi aliquid pro Fisco ad Ecclesiam & piam causam, valebit, attentâ rationis identitate, & quod

contrarium in Jure non sit expressum, *Abb. in c. ex literis de pign. Zer. part. 1. V. Fiscus. Eberhard. in loco à Fisco Franc. Luanus in tract. de privileg. Fisci,* qui centum quadraginta illi privilegia tribuit, Animosè magis, quam accuratè.

DUB. 2. An bona prohibita alienari, confiscari liceat? Affirmant aliqui, teste *Julio Claro l. 5. §. fin. quest. 78.* qui nihilominus oppositam sententiam uti communiorem præfert: secundum quam etiam Mediolani judicari solet, Pro ratione sufficere potest favoris præsumptio. Ideo enim potissimè bonorum alienatio legibus, aut moribus prohibetur, ut familiarum opes, & dignitas conservetur: ac nimis durum videtur, unius ob noxiam, aut furias omnes posteros majorum suorum fortunis privari, in fiscum translatâ bonorum possessione. Suos igitur intra limites Fiscus sese continens à rebus sacris, religiosis, dotalibus, & similibus manus absteineat, cum illas nec vendere, ut alias res, nec præscribere liceat, ut diximus *rr. 3. & 13. Cardin. Tschus Conclus. 261. Sylv. & al. Summ. Menoch. Casu 55 num. 4.*

DUB. 3. Titius antè commissum crimen vendidit Cajo bona sua, potestne Fiscus ea capere, postquam Titius deliquit?

Resp. Si animo non doloso facta venditio est, valebit, nec Fisco in ea bona ullum jus relinquatur. Esse communem opinionem testatur *Picus in l. post contractum ff. de donationib.* Si autem de fraude præsumptio sit, valida quidem erit venditio, sed à Fisco revocabitur. Verum quia periculum est ab immodi-